

1501 Hispaniola protensa meridiem versus : atque in ea populi sub rege bellum cum finitimis gerente occurrerunt : quorum fœminæ virum passæ, nullam partem corporis, præter muliebria, virgines ne illam quidem tegebant. Regem ii suum honoris gratia sublime in humeris ferunt. Tum alii deinde populi capillo promisso, & liberali aspectu, auro atque gemmis culti. Vino ii utuntur albo nigroque ex quibusdam confecto fructibus, sapore deletabili. Post hos item alii, qui certarum se herbarum coloribus pullo & purpureo inficiunt : aspectuque sunt in pugna eam ob rem tetriore ac horribiliore. Demum gens inventa agilis admodum, & item nuda, genitalibus tantummodo cucurbitula vel marina testa inclusis. Cadavera ibi regum & magnorum hominum desiccata in domibus affervantur, eaque in honore magno habent. est etiam, ubi ariada facta conterant, eoque pulvere in epulis & poculis honoris causa utantur. Postremo autem ad meridiem audacius in dies iter flectentibus Hispanis, cum vertex se subducere noster cœpit, tum e regione alia quædam magnopere splendentium quatuor stellarum forma atque series extitit, quam esse australis verticis faciem crediderunt. Visi post hæc homines nostris longe proceriores, & magno ad obeundas pugnas animo. tum flumen refertum insulis immani latitudine : patet enim amplius passum millia centum : & sylvæ arborum, quæ materiam habent ad tingendas lanas idoneam; aliarumque ita procerarum, ut eas viginti hominum extremis se manibus contingentium capere complexus sæpe nequeat. Siliquas hæ producunt longitudine palmari, pollice crassiores, lanæ mollissimæ concisæque plenas ; quæ quidem ob tenuitatem & brevitatem deduci in subtegmina fusis non possit, sed ad farcienda strata culcitrasque magnopere sit idonea. Animal eæ sylvæ nutriunt cuniculi magnitudine, gallinis infestissimum : quod quidem fœmina loculum habet e pelle utero adnexum, quasi uterum alterum, fœcundum ubeibus, in quo catulos secum gestat, emittitque cum vult. itaque si animal noxiū videt, si venatores adesse intel-

ligit,